



Heinricus filius fuit Alberti marchionis Misniec
atq; Lādgrauij Thuringiæ. Hic cum fratre se-
niore Georgio honeste educatus, & in uirtutibus
institutus fuit. uerū studio plane diuerso. Cum e-
nīm Georgius Catholicam religionem amaret, hic
Euangelicam suscepit, & uterq; suam retinere pro-
posuit. Patre autem mortuo Georgius in ditione
successit, atq; fratri, ut sustentaretur, annuam pecu-
niam ex pacto numerauit. Quoniam uero undiq;
Euangelicis summū periculū ab aduersę religionis
cultorib. instaret, Heinricus cū filio Mauritio in fœ
dus Smalkaldicum anno 1537 nullo cum onere rece-
ptus fuit, quia tenuioris erat fortunæ, sed ea lege ta-
men, si quando locupletior fieret, ut eandem cum reliquis conditionem subi-
ret. quum etiam metus esset, ne Georgius odio religionis annuam pecuniam
negaret, Protestantes ei tum benignè promiserunt, si res in eum casum deue-
niret, se liberaliter ei tantundem daturos.